

Oxoniz
Comites.

Oxonienſis Comitatus titulus diu floruit in familia de *Vere*, quæ genus à Guinarum Comitibus, cognomen à *Vere* Zelandiæ oppido repetit. Amplitudinis in Anglia initium ad Henricum Primum refert, qui Albericum de *Vere* ob eximiam prudentiam variis ornavit beneficiis; ut Angliæ *Cameraria*, & præfectura Civitatis Londini: filioque ejus Henricus *ſilius filia Regis Henrici reſtus heres Angliæ & Normanniæ*, (hoc enim uſus eſt titulo) ut à Stephano, qui regnum ſibi uſurpaverat diverteret, ſibiſque devinciret, conceſſit & reddidit *Camerariam*, quam in teſtino bello amiſerat, obtulitque quemlibet horum quatuor Comitatum, *Doceſtriæ*, *Wiltoniæ*, *Bercheriæ*, & *Oxoniz* titulum, tandemque & *Matildis* & *Henricus* filius jam regno potitus ſuis ſeorſim *Chartis Oxoniæ* Comitem crearunt. Inter poſteros, ne ſingulos ſua ſerie enumerem, maxime inclaruerunt *Robertus de Vere* qui maxima apud *Richardum Secundum* gratia, *Marchionis Dubliniæ*, & *Ducis Hiberniæ* novis & inauditis honoribus au-

ctus, quibus, ut ait ille, nihil ſibi, ſed buſto titulos, & vulgo fabulam reliquit. Brevi etenim poſt tempore procerum invidia de gradu dejectus, extorris miſerrime vitam peregit. *Ioannes* qui magna in rebus bellicis ſcientia, & integerrima in *Lancaſtrenſem* familiam fide, contra *Edwardum IV* ſubinde in acie conſixit, *Montem S. Michaëlis* aliquandiu propugnavit, & *Henrico VII* in regno obtinendo in primis adfuit. *Ioannes* item alter regnante *Henrico VIII* in omnibus vitæ partibus tam temperans, tam plenus religionis, & bonitatis, ut *BONI* cognomen reportaverit, qui proavus fuit *Henrici* jam *Comitis* ex hac ſtirpe *xviii*, & avus *Franciſci*, & *Horatii Vere* fratrum, qui ſingulari rerum bellicarum ſcientia, & rebus fortiffime & ſœliciffime in *Belgio* geſtis antiquæ nobilitati plurimum ſplendoris addiderunt.

Eccleſias Parochiales 280 complectitur hic Comitatus.

